



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Notationes quædam pro explicatione verioris sententiæ. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

docuit articulo. 5. & quod detur causa sufficiens, & communis, ob quam iure reprobetur, quicumque reprobat, peccatum scilicet originale, ut docuit aliis in locis. De paruulis vero asserunt reprobationis ipsorum idem peccatum esse causam, atque adeo tanquam effectus huius reprobationis solum recenserent poenam, & supplicium. Iuxta hanc sententiam seriem infantium in mente Dei ita constituunt. In primo vidit Deus primum hominem cum tota sua posteritate lapsum in peccatum. In secunda decreuit adhibere remedium per Christi incarnationem. Tertio ex hominibus perditis in eadem massa quibusdam voluit efficaciter dare vitam eternam, alios vero excludere a regno, relinquens eos in massa perditionis, in qua erant. Hinc etiam permittit adulos in peccata actualia prolabi, & in finem in eis perseverare. Cetera autem instantia facile deinde assignari poterunt. Hoc pacto optime defendunt hi Doctores, reprobationem esse actum iustitiae, qui natura sua postulat peccatum, & meritum poenae. Quid vero de Angelorum reprobatione sentiant, paulo post dicemus.

Probant autem in primis ex Aug. multis in locis praeterim epist. 105. circa finem, epist. 106. in Enchirid. cap. 57. de praedestin. Sancto. cap. 14. ubi affirmat, Deum in misericordia sua quosdam de massa perditionis per praedestinationem liberaisse, quosdam vero, iusto iudicio in ea reliquisse: supponit igitur August. omnes simul in eadem massa perditionis fuisse, antequam vel praedestinarentur, vel probarentur a Deo, hac autem fuit commune peccatum, ergo illud potuit esse causa sufficiens reprobationis. Deinde confirmant rationem, quae in schola Doctoris Angelici magnam vim habet, quoniam Christus praedestinatus est occasione peccati primi parentis: ergo ante eius praedestinationem omnes erant sub communi debito, & morte peccati: Christi autem praedestinatio praecessit nostram ac proinde reprobationem quoque damnatorum: ergo peccatum originale potuit esse communis causa reprobationis. Quocirca non eodem modo de reprobatione Daemonum atque hominum loquuntur: nam Daemones nullam huiusmodi causam suae reprobationis habere potuerunt. De illis ergo asserunt cum Doctoribus primae sententiae ante omne peccatum praesum fuisse reprobatos, & exclusos a regno caelorum, & permittos in peccatum.

Hac opinio, quatenus cum prima convenit, eodem modo est a nobis inferius impugnanda. An vero in eo quod asserit, causam reprobationis hominum fuisse peccatum originale, vera sit, ibidem explicabitur. Ceterum id, quod in ratione supponit, nempe peccatum originale in vnoquoque contractum, praesum fuisse ante nostram, & Christi praedestinationem, manifeste falsum est. Inde enim sequeretur B. Virginem non solum contraxisse peccatum originale, & cum eo fuisse praesum; verum etiam non potuisse per Christum ab eo praeservari. Nam si ante Christi praedestinationem omnes fuerunt praesum cum peccato originali nascituri, meritum Christi nihil illis potuit prodesse, ut ab eo praeservarentur, siquidem prior esset praeservatio si alicui concederetur, quam Christi meritum. Sola igitur gratia Dei absque vilo merito Christi praesum potuit praevinire Virginem, ne peccatum originale contraheret,

quod est absurdum: cum omnes fateantur, quamcumque gratiam collatam posteris Adae, & B. Virgini, fuisse gratiam redemptionis ex meritis Christi, ut contra Dried. disput. praeced. cap. 4. observavimus.

Respondent aduersarij, B. Virginem ordine intentionis praesum fuisse cum peccato originali, liberam tamen ordine executionis. Verum differentia ordinis intentionis, & executionis, quae a Doctoribus solet assignari, praesenti difficultati nullo modo accommodari potest. Ea enim est, ut id, quod in executione reuera posterius futurum est, in intentione sit prius: hoc est, prius de illo homo consulat, & deliberet & voluntate decernat, sicut a nobis explicatum est disp. 89. cap. 7. at vero ea, quae nullo modo reipsa futura sunt, non poterunt esse priora, aut posteriora in intentione, & executione. Quocirca, si B. Virgo nullo modo nascitura erat in peccato originali, sequitur nec prius in intentione, nec posterius, in eo fuisse praesum.

Deinde eandem sententiam oppugnant Catherinus, & Ioannes a Bononia in opusculis de praedestinatione hoc modo, peccatum originale in vnoquoque contractum reipsa non fuit causa, ut multi damnati beatitudinem non consequerentur; multi enim ab originali peccato iustificati sunt: illud ergo ad eorum damnationem nihil potuit operari, non solum ut propter illud negaretur illa gloria, sed neque etiam gratia, originale enim semel remissum non potuit relinquere dignum subiectum, ut gratia aut gloria privaretur. Commodius sane assereretur causa reprobationis peccatum primi parentis in ipso solum praesum, & nondum in posteros derivatum, quatenus ex se aptum, & dignum erat, totam posteritatem inficere: nam quamvis in primo parente poenitentia fuerit delectum quoad culpam, maculam, & poenam ipsius debuit: mansit tamen debitum carenti gratia in tota posteritate, quod Christus merito suo quoad sufficientiam condigne compensavit, licet multi de facto propter illud caruerint gratia congruae vocationis, atque permitti labi in peccatum damnati fuerint. Sed quo pacto, & in quo sensu hoc peccatum Adami potuerit esse causa reprobationis, inferius dicitur.

CAPVT IIII.

Notationes quadam pro explicatione verioris sententiae.

Am vero, ut probabilior sententiam, tam de modo loquendi, quam de reipsa explicemus, quatuor praemittenda sunt, ex quibus tria ad rem ipsam, quartum vero ad vocabula spectat. Primum est ex parte eius, qui labitur in primum peccatum actuale cum ab originali iustificatus est, nullam esse causam illius primae permissionis, id quod ita certum existimo, sicut illud, quod de prima vocatione ex mente Aug. & aliorum disp. 91. dictum est. Itaque sicut primae vocationis nulla datur causa, ita neque permissionis in eo, qui permittitur, postquam ab originali iustificatus est. Verum apud Massilienses, & Graecos Patres, cum quibus August. de prima vocatione multum contendit, non est hoc admodum certum. Nam tamen si nullo modo asserere possent, ante primam permissionem.

fff 4

147

Quasdam
mento re-
sponso con-
firmant.

Sententia
posita quo
pacto ab alijs
refutetur.
Catherinus,
Bononius.

15.
Quo sensu
esset probabi-
lior.

Notatio
prima.

16.

missionem præcessisse peccatum aliquod propter quod aliqua permetteretur labi in primum peccatum; nihilominus assererebant de parvulis, qui damnantur, gratiam baptismi ipsis fuisse denegatam propter peccata, quæ essent facturi, si vixissent, ut disput. 91. cap. 2. retulimus. Præterea cum existimarent, adultos ex libero arbitrio potius se disponere, quam ipsis gratia cōferretur, & ex parte eius, quem gratia prævenit, non concederent peculiarem gratiam congruam, ut disp. 98. cap. 4. dicemus; non ita facile concederēt, permissionem peccati esse subtractionem alicuius gratiæ prævenientis, quæ alioqui peccatum impediret, sed fortasse dicerent, usque ad consensum in peccatum omnes æquali gratia vocari. Verum iis, qui respondent, & qui perseverant, gratiam peculiarem, sine qua non perseverarent, à Deo donari, in ea disputatione satis superque probabitur. Ex quo sit, ut nullum sit peccatum, quod non præcedat aliqua permissio, hoc est negatio vocationis congruæ, quandoquid Deus, peccatum alioqui impedendum, si ea concederetur.

Notatio secundum

Fulgenti.

17.

Secundo certum est, nec vilis etiam Semipelagianis negare potest, quamlibet permissionem peccati merito peccati primi parentis iure tribuendam esse, licet peccato originali, quod baptismus, aut dilectione Dei iam deletum est, adscribi nequeat. Sic enim Fulg. libr. de incarnatione & gratia, cap. 12. & 13. in principio docuit, genus humanum perdidisse in Adamo omnem sanctam, & piam cogitationem, & nullam nisi merito secundi Adam recuperasse. Nec obstat, quod peccatum Adam in ipso omnino penitentia deletum est: manifestum enim ea potius obligatio, imo etiam obligatio culpæ originalis, quam toti posteritati promittitur: at peccatum originale contractum in quolibet, postquam baptismus aut dilectione Dei remissum est, nequit esse causa, aut permissionis peccati, aut damnationis æternæ. Et ideo cap. præc. notavi, melius posse assignari pro causa reprobationis sufficienti peccatum primi parentis, quam originale in vnoquoque contractum.

Corduba.

Probatum primo ex Scriptura. Deuter. 32.

Tertio ego quidem existimo verissimum contra multos recentiores, quos pro prima, & tertia sententia commemoravi, neminem à Deo excludendum fuisse à regno, aut ad pœnam destinatum ante opera præviisa. Cui sane sententiæ subscribunt Scotus, & qui eius sequuntur opinionem (excepto Antonio de Corduba) & omnes, quos cap. sequi pro nostra sententia referemus: & præter testimonia Patrum, quæ ibidem citavimus, aliis etiam nunc probari potest, & efficacibus rationibus confirmari. Primum testimonium est Deuter. 32. Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione morientium: ac si dicat, ex se ipso nollet esse mortem, nec absolute ea delectatur, nisi ex causa, & merito nostri peccati. Cum enim Deus pœnam, & mortem peccato statuit, non est, quod ea secundum se delectetur, sed; ut iustitiam, & æquitatem servet.

Secundo ex Damascen.

Secundum testimonium est Damasc. 1. de fide & op. 29. ubi docet, voluntatem primariam, & antecedentem, quam inquit esse ex ipso Deo, nulla ex nobis adhuc oblata occasione, ut disp. 85. explicatum est, Deum desiderare, & velle: non aliquorum tantum, sed omnium etiam salutem: atqui impossibile est Deum ex se ipso simul velle, aliquem hominem salvum, & perire, admittere eum ad regnum, & excludere; ergo ante præviisa opera nulli bea-

titudinem denegavit. Quod enim ex se velit aliquem beare, sed præviisa eius culpa propter illam velit eum damnare, non sunt contrariæ voluntates. Idem enim iudex humanus ex seipso ardenter desiderat alicui vitam, quem tamen ob culpam decernit supplicio mortis afficere. Hæc vero ratio non solum probat, neminem fuisse à Deo damnatum, & à beatitudine expulsum ante præviisum peccatum primi parentis, sed etiam post peccatum: quia præviiso adhuc peccato illo, permansit in Deo voluntas salutis, & beatitudinis nostræ: quam sane colligimus ex eo, quod ille sufficientia ad hoc prouideret remedia post lapsum Adam: ex quo sequitur simplici affectu voluisse finem eorum, scilicet beatitudinem.

Cæterum obicitur aliquis, nihil obstat, in eodem simul esse voluntatem simplicem salutis alicuius, & efficacem voluntatem ipsum puniendi, & damnandi: ergo in Deo potuit simul esse & voluntas simplex beandi homines, & efficax expellendi à regno celorum. Respondeo has duas voluntates non esse contrarias, quoties ex diversis causis oriuntur, ut si aliquis secundum se velit alteri salutem, sed propter culpam illius velit penam: ac ex seipso velle aliquem salvum, & velle eundem damnari, omnino certe secum pugnant.

Eisdem vero rationibus hoc ipsum probari potest, quibus disputat. 89. capit. 10. & 11. vultimus ad probandum neminem ad regnum celorum electum fuisse ante merita gratiæ præviisæ. Prima est, quia ordo in mente Dei ex ordine obiectorum inter se assignari debet: quare quoties aliquid Deus facit in tempore ex meritis, dicendum est, non aliter decrevisse, quam ex meritis: cum ergo in tempore Deus excludat à regno celorum, & destinet in supplicium, & penam ignis ex meritis, sequitur ab æterno non nisi ex præscientia eorumdem id decrevisse: hæc ratio habetur cap. illo 9. Secunda ratio est, si ex se Deus efficaciter præsumptus, excludere aliquem à regno ante præviisa opera, imponeretur illi necessitas, cum damnationis, & impossibile omnino esset, eum salvum, omnique liberis tollere, quia homo salvari posset: quod est absurdum: sicut è contrario cap. 10. idem probauimus de consequentione gloriæ, si Deus ante opera aliquem beare decrevit.

Tertia ratio est, quia ex opposita sententia tollitur efficacia peccatorum in ipsam pœnam, aut expulsiōem à gloria. Nam si hæc ante opera præviisa definita fuit à Deo; efficitur peccata in tempore nihil omnino conferre ad pœnam hanc infligendam, sicut capit. 10. idem de bonis meritis probavi respectu gloriæ, si hæc præviisa fuit ante illa. Quæ sane rationes eodem modo deducendæ sunt, & confirmandæ, atque illæ, quas in illis capitulis, sumus prosequuti. Quattro observandum est hæc voces. Reprobatio, reprobare, & reprobus, ut fertur in Scriptura, & in Patribus inueniri, in ea præfertim significatione, de qua nobis est discipulatum in aliquibus locis, ubi viderentur ita viarum, certum non est, eam significationem habere. Loca Scripturæ sunt Eccles. 9. Speciem mulieris adriæ multi admirati, reprobi facti sunt. 1. ad Corinth. 5. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, & forte cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar. & 2. ad Timoth. 3. Et hi resistunt veritati hominum ut rumpi mente, reprobi circa fidem. Verum in his locis

Ad Titum 1. non dicitur reprobos, qui à regno coelorum, & à gratia Dei eiectionis, & repulsi sunt, sed idem est, reprobos, quod improbos. Græce enim est ἀδόκιμος, quod improbum quoque significat. Imo vox reprobos, apud Latinos frequentius in hac significatione usurpatur. Ponitur etiam 2. ad Corinth. 13. sed in hac significatione potius capi videtur. Quod si in his locis intelligamus reprobos in ea significatione, de qua nunc disputamus, an ex illis colligatur, dari causam reprobationis, nec ne: seq. cap. dicemus. Verbum autem Latinum *Reprobo*, denotat improbare, aut reicere aliquid; in qua significatione in Scriptura frequentius usurpatur Marc. 8. Luc. 9. & 17. & 1. ad Corinth. 1. in quo posteriori loco, si alicubi, in hac ponitur significatione. Sed, an ex illo colligere possimus causam aliquam reprobationis, eodem capite, seq. dicendum est.

Demum Aug. & ceteri Patres, nomine *Reprobatio*, aut verbo, *Reprobo*, non vtuntur: semel in Aug. vocem *Reprobos*, inueni, in quo autem sensu, & an illius assignet causam, postea explicandum est. Opponunt autem Aug. & alii Patres prædestinationi ad vitam æternam, prædestinationem ad mortem secundam, electioni autem ad gratiam, derelictionem in massa perditionis. Eos vero, qui in massa relinquuntur, nec misericordia Dei ab ea separantur, dicit August. à Deo deseri, & illorum Deum non misereri.

CAPVT V.

De causa reprobationis in adultis,
verior opinio.

*C*um bona pars huius controuersie sit de voce, facile erit iuxta ea, quæ nota sunt, præmissa quadam distinctione, sententiam veriorē, & testimonis Scripturæ, atque Patribus magis conformem pronunciare. Cum autem reprobatio tam sit paruulorum, quam adultorum; nec sit eadem utrorumque ratio; maioris claritatis gratia placuit de adultis solum in hoc capite, in sequenti vero de paruulis disserere. Quia ergo reprobare idem est, quod improbare aliquem, atque reicere si reprobatio usurpetur pro actu, quo quis reicitur à Deo, hac distinctione opus est. Aut loquimur de actu, quo quis reicitur à gratia Dei, aut quo reicitur à regno coelorum. Si de priori sermo sit, asserendum est, nullam causam ex parte eius, qui reicitur esse præter peccatum primi parentis. Intelligendum autem est de prima negatione gratiæ, & vocationis congruæ, qua reicitur homo à gratia prædestinatorum, ita tamen vt neminem Deus reiciat à gratia sua ea intentione, vt à regno quoque coelorum ipsum excludat. Nam ex tali intentione sequeretur, Deum ab æterno ante negationem gratiæ congruæ, & ante præuisa peccata aliquem beatitudine extorrem præfuisse, quod est absurdum, vt præcedenti capite. monstratum est. Quocirca hic modus reprobationis non opponitur prædestinationi ad gloriam ex parte finis, ad quam dirigitur, sed ex parte tantum mediorum gratiæ, quæ prædestinatis conceduntur, reprobis autem negantur, non tamen contraria intentione, scilicet excludendi eos à regno. De hoc modo reprobationis intelligi potest illud ad Rom. 11.

Non repulsi Deus plebem suam, quam præfuit: hoc est, non repulsi à gratia sua partem illam partem populi Israelitici, quam sibi delegit, sicut repulsi reliquam multitudinem eiusdem populi, quousque plenitudo gentium in Ecclesiam intraret, nam reliquis hoc est pauci, per electionem gratiæ saluæ facti sunt. Contra vero multi eorum à gratia Dei repulsi, & eiectionis. Alia autem loca Scripturæ, si de reprobatione intelliguntur, in significatione Scholasticorum, non de reprobatione à prima gratia, sed de reprobatione à gloria, vel ab ulteriori aliqua gratia, accipienda sunt, vt statim dicemus. Huius ergo reprobationis non video aliam esse causam communem, præter peccatum primi parentis. Nam cum peccatum originale in multis etiam reprobis gratia Dei deleatur, non potest illud esse causa reprobationis à gratia; bene tamen peccatum commune primi parentis, vt cap. 3. obferuati.

In hanc sententiam consentiunt nobiscum doctores secundæ opinionis. excepto Corduba, quatenus asserunt, neminem ante opera præuisa exclusum fuisse à beatitudine. Reprobationis autem à gratia, quam ipsi permissam appellant, non dari causam ex parte ipsius reprobati. Neque enim negant, peccatum Adami sufficientem esse causam illius. Hic tantum in eorum sententia mihi non probatur, quod asserunt circa negationem gratiæ congruæ, & permissionem peccati, Deum se habuisse negatiue, id quod cap. 2. impugnatum est. Doctores quoque primæ sententiæ in hunc sensum possemus interpretari. Neque enim vllus dixit, ante præuisum peccatum Deum decreuisse eicere aliquem à beatitudine. Quare forsitan loquuntur de reprobatione à prima gratia: & ideo dixerunt, reprobationis effectum incipere à prima permissione.

Hoc modo reprobare idem est, quod non misereri: & non misereri, vt notauit Augustinus lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. idem est quod obdurare apud Apostolum cum ad Rom. 9. dicit: *Cuius vult: miseretur, & quem vult indurat.* Huius autem nulla ex parte indurati causa est, præter peccatum primi parentis sumpta obduratione à prima permissione, nam si de aliis permissionibus loquamur, quibus post multa commissa peccata aliquis à Deo deseritur, ex parte ipsius derelicti priora peccata sunt causa posterioris obdurationis. Augustin. vero eo loco hoc discrimen constituit inter misericordiam, qua Deus largitur congruam vocationem, & obdurationem, quæ oritur ex gratiæ negatione; quod, licet ratione vocationis præuenientis Apostolus dicat, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; scilicet opus ex gratia profectum, quia solius Dei fuit, ita vocare, vt moueretur voluntas, & faceret: dici tamen non potest, *Non est volentis, & contemnentis, sed Dei obdurantis*, quia Deus non præuenit nos, vt peccemus, & deteriores simus; sicut præuenit, vt simus meliores, & vocationi consentiamus: sed tantum à Deo non errogatur (inquit Augustinus) aliquid, quo simus meliores, quando scilicet negatur congrua vocatio, qua recte operaremur, & peccato non consentiremus. Huius tamen reprobationis in Dæmonibus nulla alia causa fuit, quam voluntas Dei: nam primam permissionem nullum peccatum præcessit in ipsis, aut in aliis, quod illius causa esse posset.

Secundo

Hic sententia consentiunt multi.

23.

Cuius obduratiōis non desunt causæ ex parte indurati.

24.

Cur opera gratiæ sint Dei misericordie peccata vero non sint Dei contemnentis ex Augustin.